

## SATYRA XIII.

*Calvinum depositi negati jactura moestum solatur; docetque nocentes nunquam impune peccare, cum surdo foedae conscientiae flagello caedantur.*

**E**XEMPLUM quodcumque malo committitur, ipsi displicet auctori. Prima est hæc ultio, quod se Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis Gratia fallaci Prætoris vicerit urna.  
Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti  
De scelere, et fidei violatæ crimine? Sed nec  
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris  
Jacturæ te mergat onus: nec rara videmus  
Quæ pateris. Casus multis hic cognitus, ac jam  
Tritus, et e medio Fortunæ ductus acervo.  
Ponamus nimios gemitus. Flagrantior æquo  
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.  
Tu quamvis levium minimam exiguamque malorum  
Particulam vix ferre potes spumantibus ardens  
Visceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus  
Depositum. Stupet hæc, qui jam post terga reliquit  
Sexaginta

Sexaginta annos Fonteio Confule natus?  
 An nihil in melius tot rerum proficis usu?  
 Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,  
 Victrix fortunæ sapientia. Dicimus autem  
 Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,  
 Nec jactare jugum vita didicere magistra.  
 Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,  
 Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum  
 Quæsitum, et partos gladio vel pyxide nummos?  
 Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot  
 Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.  
 Nona ætas agitur, pejoraque sæcula ferri  
 Temporibus; quorum scelere non invenit ipsa  
 Nomen, et a nullo posuit natura metallo.  
 Nos hominum Divumque fidem clamore ciemus,  
 Quanto Fessidium laudat vocalis agentem  
 Sportula. Dic senior bulla dignissime, nescis  
 Quos habeat veneres aliena pecunia, nescis  
 Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum  
 Exigis a quoquam ne pejeret, et putet ullis  
 Esse aliquod Numen templis, aræque rubenti?  
 Quondam hoc Indigenæ vivebant more, prius quam  
 Sumeret

Sumeret agrestem posito diademate falcem  
 Saturnus fugiens: tunc cum virguncula Juno,  
 Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.  
 Nulla super nubes convivium Cœlicolarum,  
 Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor  
 Ad cyathos, et jam ficcato nectare tergens  
 Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.  
 Prandebat sibi quisque Deus, nec turba Deorum  
 Talis, ut est hodie; contentaque sidera paucis  
 Numinibus miserum urgebant Atlanta minori  
 Pondere. Nondum aliquis fortitus triste profundi  
 Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluton.  
 Nec rota, nec Furia, nec faxum, aut vulturis atri  
 Pœna; sed infernis hilares sine regibus umbræ.  
 Improbilas illo fuit admirabilis ævo.  
 Credebant hoc grande nefas, et morte piandum,  
 Si juvenis vetulo non affurrexerat; et si  
 Barbato cuicumque puer; licet ipse videret  
 Plura domi fraga, et majores glandis acervos.  
 Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,  
 Primaque par adeo sacra lanugo senectæ.  
 Nunc si depositum non inficietur amicus,

Si reddat veterem cum tota ærugine follem,  
 Prodigiofa fides, et Tuscis digna libellis,  
 Quæque coronata lustrari debeat agna.  
 Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri  
 Hoc monstrum puero, vel mirandis sub aratro  
 Piscibus inventis, et foetæ comparo mulæ;  
 Sollicitus tanquam lapides effuderit imber,  
 Examenque apium longa confederit uva  
 Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis  
 Gurgitibus miris, et lactis vortice torrens.  
 Intercepta decem quereris festertia fraude  
 Sacrilega. Quid si bis centum perdidit alter  
 Hoc arcana modo: majorem tertius illa  
 Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?  
 Tam facile et pronum est Superos contemnere testes,  
 Si mortalis idem nemo sciat. Aspice quanta  
 Voce neget; quæ fit ficti constantia vultus.  
 Per Solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat,  
 Et Martis frameam, et Cirrhæi spicula vatis;  
 Per calamos venatricis pharetramque puellæ.  
 Perque tuum pater Aegei Neptune tridentem.  
 Addit et Herculeos arcus, hastamque Minervæ,

Quicquid

Quicquid habent telorum armamentaria cœli.  
 Si vero et pater est, comedam, inquit, flebile nati  
 Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.  
 Sunt qui in Fortunæ jam casibus omnia ponant,  
 Et nullo credant mundum rectore moveri,  
 Natura volvente vices et lucis, et anni;  
 Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt:  
 Est alius metuens ne crimen pœna sequatur.  
 Hic putat esse Deos, et pejerat, atque ita secum;  
 Decernat quodcumque volet de corpore nostro  
 Isis, et irato feriat mea lumina fistro,  
 Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.  
 Et phthisis, et vomicæ putres, et dimidium crus  
 Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram  
 Ne dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec  
 Archigene. Quid enim velocis gloria plantæ  
 Præstat, et esuriens Pisææ ramus olivæ?  
 Ut fit magna, tamen certe lenta ira Deorum est.  
 Si curant igitur cunctos punire nocentes,  
 Quando ad me venient? Sed et exorabile numen  
 Fortasse experiar. Solet his ignoscere. Multi  
 Committunt eadem diverso crimina fato.

X 2

Ille

Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.  
 Sic animum diræ trepidum formidine culpæ  
 Confirmant. Tunc te sacra ad delubra vocantem  
 Præcedit, trahere imo ultro ac vexare paratus.  
 Nam cum magna malæ supereft audacia caufæ,  
 Creditur a multis fiducia. Mimum agit ille,  
 Urbani qualem fugitivus scurra Catulli.  
 Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,  
 Vel potius quantum Gradivus Homericus: audis,  
 Jupiter, hæc, nec labra moves, cum mittere vocem  
 Debueras, vel marmoreus, vel aheneus? Aut cur  
 In carbone tuo charta pia thura soluta  
 Ponimus, et fectum vituli jecur, albaque porci  
 Omenta? Ut video, nullum discrimen habendum est  
 Effigies inter vestras, statuatque Bathylli.  
 Accipe quæ contra valeat folatia ferre,  
 Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit  
 A Cynicis tunica distantia; non Epicurum  
 Suspicit exigui lætum plantaribus horti.  
 Curentur dubii medicis majoribus ægri:  
 Tu venam vel discipulo committe Philippi.  
 Si nullum in terris tam detestabile factum

Ostendis,

Ostendis, taceo, nec pugnis cædere pectus  
 Te veto, nec plana faciem contundere palma;  
 Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,  
 Et majore domus gemitu, majore tumultu  
 Planguntur nummi, quam funera. Nemo dolorem  
 Fingit in hoc casu, vestem diducere summam  
 Contentus, vexare oculos humore coacto.  
 Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.  
 Sed si cuncta vides simili fora plena querela;  
 Si decies lectis diversa in parte tabellis,  
 Vana supervacui dicunt chirographa ligni,  
 Arguit ipforum quos littera, gemmaque princeps  
 Sardonyches, oculis quæ custoditur eburnis:  
 Te nunc delicias extra communia censes  
 Ponendum; quia tu gallinæ filius albæ,  
 Nos viles pulli nati infelicibus ovis.  
 Rem pateris modicam, et mediocri bile ferendam,  
 Si flectas oculos majora ad crimina: confer  
 Conductum latronem, incendia sulphure cœpta,  
 Atque dolo, primos cum janua colligit ignes:  
 Confer et hos veteris qui tollunt grandia templi  
 Pocula adorandæ rubiginis, et populorum

Dona,

Dona, vel antiquo positas a rege coronas.  
 Hæc ibi si non sunt, minor extat sacrilegus, qui  
 Radat inaurati femur Herculis, et faciem ipsam  
 Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat.  
 An dubitet, solitus totum conflare Tonantem?  
 Confer et artifices, mercatoremque veneni,  
 Et deducendum corio bovis in mare, cum quo  
 Clauditur adversis innoxia fimia fati.  
 Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus urbis  
 Usque a Lucifero, donec lux occidat, audit?  
 Humani generis mores tibi nosse volenti  
 Sufficit una domus. Paucos consume dies, et  
 Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.  
 Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? Aut quis  
 In Meroe crasso majorem infante mamillam?  
 Cærule quis stupuit Germani lumina? Flavam  
 Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro?  
 Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.  
 Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram  
 Pygmæus parvis currit bellator in armis:  
 Mox impar hosti, raptusque per aera curvis  
 Unguibus a sæva fertur grue. Si videas hoc

Gentibus

Gentibus in nostris, risu quatiere: sed illic,  
 Quanquam eadem assidue spectentur prælia, ridet  
 Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.  
 Nullane perjuri capitis, fraudisque nefandæ  
 Pœna erit? Abreptum crede hunc graviore catena  
 Protinus, et nostro (quid plus velit ira?) necari  
 Arbitrio. Manet illa tamen jactura, nec unquam  
 Deposuit tibi sospes erit: sed corpore trunco  
 Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.  
 At vindicta bonum vita jucundius ipsa.  
 Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis  
 Interdum, aut levibus videas flagrantia causis.  
 Quantulacunque adeo est occasio, sufficit iræ.  
 Chrysiippus non dicet idem, nec mite Thaletis  
 Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto,  
 Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ  
 Accusatori nollet dare. Plurima felix  
 Paulatim vitia, atque errores exuit omnes  
 Prima docens rectum sapientia. Quippe minuti  
 Semper et infirmi est animi exiguique voluptas  
 Ultio. Continuo sic collige, quod vindicta  
 Nemo magis gaudet, quam fœmina. Cur tamen hos tu  
 Evassisse

Evafisse putes, quos diri conscia facti  
 Mens habet attonitos, et furdo verbere cædit,  
 Occultum quatiente animo tortore flagellum?  
 Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,  
 Quas et Cæditius gravis invenit aut Rhadamanthus,  
 Nocte dieque suum gestare in pectore testem.  
 Spartano cuidam respondit Pythia vates,  
 Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret  
 Depositem retinere, et fraudem jure tueri  
 Jurando: quærebat enim quæ numinis esset  
 Mens: et an hoc illi facinus suaderet Apollo.  
 Reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem  
 Vocem adyti dignam templo, veramque probavit,  
 Extinctus tota pariter cum prole domoque,  
 Et quamvis longa deductis gente propinquis.  
 Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.  
 Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,  
 Facti crimen habet. Cedo, si conata peregit?  
 Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat;  
 Faucibus ut morbo ficcis, interque molares  
 Difficili crescente cibo: sed vina misellus  
 Exspuit: Albani veteris pretiosa senectus

Displicet.

Displicet. Ostendas melius, densissima ruga  
 Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.  
 Nocte brevem si forte indulfit cura soporem,  
 Et toto versata toro jam membra quiescunt,  
 Continuo templum, et violati Numinis aras,  
 Et (quod præcipuis mentem sudoribus urget)  
 Te videt in somnis. Tua sacra et major imago  
 Humana turbat pavidum, cogitque fateri.  
 Hi sunt qui trepidant, et ad omnia fulgura pallent,  
 Cum tonat, exanimes primo quoque murmure cœli;  
 Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed  
 Iratus cadat in terras, et vindicet ignis.  
 Illa nihil nocuit, cura graviore timetur  
 Proxima tempestat; velut hoc dilata sereno.  
 Præterea lateris vigili cum febre dolorem  
 Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum  
 Infesto credunt a numine; saxa Deorum  
 Hæc, et tela putant. Pecudem spondere facello  
 Balantem, et Laribus cristam promittere galli  
 Non audent. Quid enim sperare nocentibus ægris  
 Concessum? Vel quæ non dignior hostia vita?  
 Mobilis et varia est ferme natura malorum.

Y

Cum

Cum scelus admittunt, superest constantia: quid fas,  
 Atque nefas, tandem incipiunt sentire, peractis  
 Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit  
 Damnatos, fixa et mutari nescia. Nam quis  
 Peccandi finem posuit sibi? Quando recepit  
 Ejectum semel attrita de fronte ruborem?  
 Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno  
 Flagitio? Dabit in laqueum vestigia noster  
 Perfidus, et nigri patietur carceris uncum,  
 Aut maris Aegæi rupem, scopulosque frequentes  
 Exulibus magnis. Pœna gaudebis amara  
 Nominis invisi, tandemque fatebere lætus  
 Nec furdum, nec Tiresiam quenquam esse Deorum.

SATYRA

## SATYRA XIV.

*Quam sancte et caste coram pueris vivendum sit, parentibus præcipit; quandoquidem si coram male vivitur, obscoena domesticae pravitate imitatione laborabunt.*

**P**LURIMA sunt, Fuscine, et fama digna sinistra,  
 Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,  
 Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.  
 Si damnosa senem juvat alea, ludit et hæres  
 Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.  
 Nec de se melius cuiquam sperare propinquo  
 Concedet juvenis, qui radere tubera terræ,  
 Boletum condire, et eodem jure natantes  
 Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,  
 Et cana monstrante gula. Cum septimus annus  
 Tranfierit, puero nondum omni dente renato,  
 Barbatos licet admoveas mille inde magistros,  
 Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu

Y 2

Semper,

Semper, et a magna non degenerare culina.  
 Mitem animum, et mores modicis erroribus æquos  
 Præcipit, atque animos fervorum, et corpora nostra  
 Materia constare putat, paribusque elementis:  
 An sævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo  
 Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis  
 Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus?  
 Tum, felix quoties aliquis tortore vocato  
 Uritur ardenti duo propter lintea ferro.  
 Quid suadet juveni lætus stridore catenæ,  
 Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer  
 Rusticus? Exspectas ut non sit adultera Largæ  
 Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos  
 Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu,  
 Ut non ter decies respiret? Conscia matri  
 Virgo fuit: ceras nunc hac dictante pusillas  
 Implet, et ad mœchum dat eisdem ferre cinœdis.  
 Sic natura jubet: velocius et citius nos  
 Corruptunt vitiorum exempla domestica, magnis  
 Cum subeunt animos auctoribus. Unus, et alter  
 Forfitan hæc spernant juvenes, quibus arte benigna,  
 Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Sed

Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt;  
 Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.  
 Abstineas igitur damnandis; hujus enim vel  
 Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur  
 Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis  
 Turpibus ac pravis omnes sumus; et Catilinam  
 Quocunque in populo videas, quocunque sub axe:  
 Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.  
 Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,  
 Intra quæ puer est. Procul hinc, procul inde puellæ  
 Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti.  
 Maxima debetur puero reverentia. Si quid  
 Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos:  
 Sed peccaturo obstitat tibi filius infans.  
 Nam si quid dignum censoris fecerit ira,  
 Quandoquidem similem tibi se non corpore tantum,  
 Nec vultu dederit, morum quoque filius, et cum  
 Omnia deterius tua per vestigia peccet,  
 Corripies nimirum, et castigabis acerbo  
 Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis.  
 Unde tibi frontem libertatemque parentis,  
 Cum facias pejora senex, vacuumque cerebro

Jampridem



Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?  
 Hospite venturo cessabit nemo tuorum:  
 Verre pavimentum; nitidas ostende columnas;  
 Arida cum tota descendat aranea tela:  
 Hic lavet argentum; vasa aspera tergeat alter:  
 Vox domini fremit instantis, virgamque tenentis.  
 Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino  
 Atria displiceant oculis venientis amici,  
 Ne perfusa luto sit porticus; et tamen uno  
 Semodio scobis hæc emendat fervulus unus.  
 Illud non agitas, ut sanctum filius omni  
 Aspiciat sine labe domum, vitioque carentem?  
 Gratum est, quod patriæ civem populoque dedisti,  
 Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,  
 Utilis et bellorum, et pacis rebus agendis.  
 Plurimum enim intererit, quibus artibus, et quibus  
     hunc tu  
 Moribus instituas. Serpente ciconia pullos  
 Nutrit, et inventa per devia rura lacerta:  
 Illi eadem sumptis quæerunt animalia pennis.  
 Vultur jumento, et canibus, crucibusque relictis,  
 Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.

Hinc

Hinc est ergo cibus magni quoque vulturis, et se  
 Pascentis, propria cum jam facit arbore nidos.  
 Sed leporem, aut capream, famulæ Jovis, et generosæ  
 In saltu venantur aves: hinc præda cubili  
 Ponitur: inde autem, cum se matura levabit  
 Progenies stimulante fame, festinat ad illam,  
 Quam primum rupto prædam gustaverit ovo.  
 Aedificator erat Centronius, et modo curvo  
 Littore Caietæ, summa nunc Tiburis arce,  
 Nunc Prænестinis in montibus, alta parabat  
 Culmina villarum, Græcis, longeque petitis  
 Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem;  
 Ut spado vincebat Capitolia nostra Pofides.  
 Dum sic ergo habitat Centronius, imminuit rem,  
 Fregit opes, nec parva tamen mensura relictæ  
 Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,  
 Dum meliore novas attollit marmore villas.  
 Quidam fortiti metuentem sabbata patrem,  
 Nil præter nubes, et cœli numen adorant:  
 Nec distare putant humana carne suillam,  
 Qua pater abstinuit: mox et præputia ponunt:  
 Romanas autem soliti contemnere leges,

Judaicum

Judaicum ediscunt, et servant, ac metuunt jus,  
 Tradidit arcano quodcunque volumine Moses:  
 Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti;  
 Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.  
 Sed pater in causa, cui septima quæque fuit lux  
 Ignava, et partem vitæ non attigit ullam.  
 Sponte tamen juvenes imitantur cætera: solam  
 Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.  
 Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,  
 Cum sit triste habitu, vultuque et veste severum.  
 Nec dubie tanquam frugi laudatur avarus,  
 Tanquam parcus homo, et rerum tutela suarum  
 Certa magis, quam si fortunas fervet easdem  
 Hesperidum serpens, aut Ponticus. Adde quod hunc, de  
 Quo loquor, egregium populus putat, atque verendum  
 Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.  
 Sed crescunt quocunque modo, majoraque fiunt  
 Incude assidua, femperque ardente camino.  
 Et pater ergo animi felices credit avaros,  
 Qui miratur opes, qui nulla exempla beati  
 Pauperis esse putat; juvenes hortatur, ut illam  
 Ire viam pergant, et eidem incumbere sectæ.

Sunt

Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos  
 Imbuit, et cogit minimas ediscere fordes.  
 Mox acquirendi docet infatiabile votum.  
 Servorum ventres modio castigat iniquo,  
 Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet un-  
 quam  
 Mucida cœrulei panis consumere frustra,  
 Hesternum solitus medio fervare minuta  
 Septembri; nec non differre in tempora cœnæ  
 Alterius, conchem æstivi cum parte lacerti  
 Signatam, vel dimidio putrique filuro,  
 Filaque sectivi numerata includere porri.  
 Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.  
 Sed quo divitias hæc per tormenta coactas;  
 Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,  
 Ut locuples moriaris, egenti vivere fato?  
 Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit:  
 Et minus hanc optat, qui non habet. Ergo paratur  
 Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,  
 Et proferre libet fines; majorque videtur,  
 Et melior vicina seges. Mercaris et hanc, et  
 Arbuſta, et densa montem qui canet oliva.

Z

Quorum

Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,  
 Nocte boves macri, lassoque famelica collo  
 Armenta ad virides hujus mittuntur aristas;  
 Nec prius inde domum, quam tota novalia fævos  
 In ventres abeant, ut credas falcibus actum.  
 Dicere vix possis, quam multi talia plorent,  
 Et quot venales injuria fecerit agros.  
 Sed qui sermones? Quæ fœdæ buccina famæ?  
 Quid nocet hoc? Inquit. Tunicam mihi malo lupini,  
 Quam si me toto laudet vicinia pago  
 Exigui ruris paucissima farra secantem.  
 Scilicet et morbis et debilitate carebis,  
 Et luctum et curam effugies, et tempora vitæ  
 Longa tibi post hæc fato meliore dabuntur;  
 Si tantum culti solus possederis agri,  
 Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.  
 Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis  
 Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molossos,  
 Tandem pro multis vix jugera bina dabantur  
 Vulneribus. Merces ea sanguinis atque laboris  
 Nullis visa unquam meritis minor, aut ingrata  
 Curta fides patriæ. Saturabat glebula talis

Patrem

Patrem ipsum, turbamque casæ, qua fœta jacebat  
 Uxor, et infantes ludebant quatuor, unus  
 Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum  
 A scrobe vel fulco redeuntibus, altera cœna  
 Amplior, et grandes fumabant pultibus ollæ.  
 Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.  
 Inde fere scelerum causæ, nec plura venena  
 Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum  
 Humanæ mentis vitium, quam fæva cupido  
 Indomiti census. Nam dives qui fieri vult,  
 Et cito vult fieri. Sed quæ reverentia legum?  
 Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?  
 Vivite contenti casulis, et collibus istis,  
 O pueri, Marfus dicebat et Hernicus olim,  
 Vestinusque senex: panem quæramus aratro,  
 Qui fatis est mensis. Laudant hoc numina ruris,  
 Quorum ope et auxilio, gratæ post munus aristæ,  
 Contingunt homini veteris fastidia quercus.  
 Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto  
 Per glaciem perone tegi; qui summovet Euros  
 Pellibus inversis. Peregrina ignotaque nobis  
 Ad scelus atque nefas, quodcunque est, purpura ducit.

Z 2

Hæc

Hæc illi veteres præcepta minoribus. At nunc  
 Post finem autumni media de nocte supinum  
 Clamofus juvenem pater excitat; accipe ceras,  
 Scribe puer, vigila, causas age, perlege rubras  
 Majorum leges, aut vitem posce libello.  
 Sed caput intactum buxo, naresque pilosas  
 Annotet, et grandes miretur Lælius alas.  
 Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,  
 Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus  
 Afferat: aut longos castrorum ferre labores  
 Si piget, et trepido solvunt tibi cornua ventrem  
 Cum lituis audita, pares quod vendere possis  
 Pluris dimidio, nec te fastidia mercis  
 Ullius fubeant ablegandæ Tiberim ultra:  
 Neu credas ponendum aliquid discriminis inter  
 Unguenta et corium. Lucri bonus est odor ex re  
 Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore  
 Verfetur, Diis atque ipso Jove digna, Poetæ:  
 Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere.  
 Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus affem:  
 Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellæ.  
 Talibus instantem monitis quemcunque parentem

Sic

Sic possem affari: dic, o vanissime, quis te  
 Festinare jubet? Meliorem præsto magistro  
 Discipulum. Securus abi: vinceris, ut Ajax  
 Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.  
 Parcendum est teneris; nondum implevere medullas  
 Nativæ mala nequitæ: cum pectere barbam  
 Cœperit, et longi mucronem admittere cultri,  
 Falsus erit testis, vendet perjuriam summa  
 Exigua, Cereris tangens aramque pedemque.  
 Elatam jam crede nurum, si limina vestra  
 Mortifera cum dote subit. Quibus illa premetur  
 Per somnum digitis? Nam quæ terraque marique  
 Acquirenda putes, brevior via conferet illi.  
 Nullus enim magni sceleris labor. Hæc ego nunquam  
 Mandavi, dices olim, nec talia suasi:  
 Mentis causa malæ tamen est, et origo penes te.  
 Nam quisquis magni census præcepit amorem,  
 Et lævo monitu pueros producit avaros:  
 Et qui per fraudes patrimonia conduplicare  
 Dat libertatem, et totas effundit habenas  
 Curriculo; quem si revoces, subsistere nescit,  
 Et te contempto rapitur, metisque relictis.

Nemo

Nemo satis credit tantum delinquere, quantum  
 Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.  
 Cum dicis juveni, stultum, qui donet amico,  
 Qui paupertatem levet attollatque propinqui;  
 Et spoliare doces, et circumscribere, et omni  
 Crimine divitias acquirere, quarum amor in te est,  
 Quantum erat patriæ Deciorum in pectore, quantum  
 Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus;  
 In quarum fulcis legiones dentibus anguis  
 Cum clypeis nascuntur, et horrida bella capeffunt  
 Continuo, tanquam et tubicen furrexerit una.  
 Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,  
 Flagrantem late, et rapientem cuncta videbis.  
 Nec tibi parceretur misero, trepidumque magistrum  
 In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.  
 Nota Mathematicis genesis tua: sed grave tardas  
 Expectare colos. Morieris stamine nondum  
 Abrupto. Jam nunc obstas, et vota moraris;  
 Jam torquet juvenem longa et cervina senectus.  
 Ocyus Archigenem quære, atque eme quod Mithridates  
 Composuit, si vis aliam decerpere ficum,  
 Atque alias tractare rofas. Medicamen habendum est,  
 Sorbere

Sorbere ante cibum quod debeat aut pater aut rex.  
 Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,  
 Nulla æquare queas prætoris pulpita lauti,  
 Si spectas quanto capitis discrimine constant  
 Incrementa domus, ærata multus in arca  
 Fiscus, et ad vigilem ponendi Castora nummi,  
 Ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit, et res  
 Non potuit servare suas. Ergo omnia Floræ,  
 Et Cereris licet, et Cybeles aulæa relinquis:  
 Tanto majores humana negotia ludi.  
 An magis oblectant animum jactata petauro  
 Corpora, quique solent rectum descendere funem,  
 Quam tu, Corycia semper qui puppe moraris,  
 Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,  
 Perditus, ac vilis facci mercator olentis;  
 Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ  
 Passum, et municipes Jovis advexisse lagenas?  
 Hic tamen ancipiti figens vestigia planta  
 Victum illa mercede parat, brumamque, famemque  
 Illa recte cavet: tu propter mille talenta,  
 Et centum villas, temerarius. Aspice portus  
 Et plenum magnis trabibus mare. Plus hominum est jam

In pelago. Veniet classis quocunque vocarit  
 Spes lucri; nec Carpathium, Gætulaque tantum  
 Aequora tranfiliet: sed longe Calpe relicta,  
 Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.  
 Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti  
 Inde domum possis, tumidaque superbus aluta  
 Oceani monstra, et juvenes vidisse marinos.  
 Non unus mentes agitat furor. Ille sororis  
 In manibus vultu Eumenidum terretur et igni.  
 Hic bove percusso mugire Agamemnona credit,  
 Aut Ithacum. Parcat tunicis licet atque lacernis,  
 Curatoris eget, qui navem mercibus implet  
 Ad summum latus, et tabula distinguitur unda;  
 Cum fit causa mali tanti et discriminis hujus,  
 Concisum argentum in titulos faciesque minutas.  
 Occurrunt nubes et fulgura; solvite funem,  
 Frumenti dominus clamat, piperisque coemptor;  
 Nil color hic cœli, nil fascia nigra minatur:  
 Aestivum tonat. Infelix, ac forsitan ipsa  
 Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur  
 Obrutus, et zonam læva morfuque tenebit.  
 Sed cujus votis modo non suffecerat aurum,

Quod

Quod Tagus et rutila volvit Pactolus arena,  
 Frigida sufficient velantes inguina panni,  
 Exiguusque cibus, merfa rate naufragus affem  
 Dum rogat, et picta se tempestate tuetur.  
 Tantis parta malis, cura majore metuque  
 Servantur. Misera est magni custodia census.  
 Dispositis prædives hamis vigilare cohortem  
 Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro  
 Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,  
 Atque ebore, et lata testudine. Dolia nudi  
 Non ardent Cynici. Si fregeris, altera fiet  
 Cras domus; aut eadem plumbo commissa manebit.  
 Sensit Alexander, testa cum vidit in illa  
 Magnum habitatorem, quanto felicior hic qui  
 Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,  
 Passurus gestis æquanda pericula rebus.  
 Nullum numen habes, si sit prudentia; sed te  
 Nos facimus, Fortuna, Deam. Mensura tamen quæ  
 Sufficiat census, si quis me consulat, edam.  
 In quantum fitis atque fames et frigora poscunt:  
 Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis:  
 Quantum Socratici ceperunt ante Penates.

A a

Nunquam

Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.  
 Acribus exemplis videor te claudere: misce  
 Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam  
 Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.  
 Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum;  
 Sume duos equites, fac tertia quadringenta.  
 Si nondum implevi gremium, si panditur ultra:  
 Nec Cræsi fortuna unquam, nec Persica regna  
 Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,  
 Indulfit Cæsar cui Claudius omnia, cujus  
 Paruit imperiis uxorem occidere jussus.

SATYRA

*SATYRA XV.*

*Crudelem Aegypti superstitionem, seu melius lanienam  
 ridet.*

**Q**UIS nescit, Volusi Bithynice, qualia demens  
 Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat  
 Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus Ibin.  
 Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,  
 Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,  
 Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.  
 Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic  
 Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.  
 Porrum et cepe nefas violare, ac frangere morfu.  
 O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis  
 Numina! Lanatis animalibus abstinet omnis  
 Mensa. Nefas illic foetum jugulare capellæ;  
 Carnibus humanis vesci licet. Attonito cum  
 Tale super cœnam facinus narraret Ulysses  
 Alcinoos, bilem aut risum fortasse quibusdam  
 Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo  
 Hunc abicit, sæva dignum veraque Charybdi,

A a 2

Fingentem

Fingentem immanes Læstrygonas atque Cyclopas?  
 Nam citius Scyllam, vel concurrentia faxa  
 Cyanes, plenos et tempestatibus utres  
 Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,  
 Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.  
 Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?  
 Sic aliquis merito nondum ebrius, et minimum qui  
 De Corcyræa temetum duxerat urna.  
 Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.  
 Nos miranda quidem, sed nuper Consule Junio  
 Gesta, super calidæ referemus mœnia Copti;  
 Nos vulgi scelus, et cunctis graviora cothurnis.  
 Nam scelus a Pyrrha, quanquam omnia firmata volvas,  
 Nullus apud tragicos populus facit. Accipe nostro  
 Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.  
 Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,  
 Immortale odium, et nunquam sanabile vulnus  
 Ardet adhuc Ombos et Tentyra. Summus utrinque  
 Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum  
 Odit uterque locus; cum solos credat habendos  
 Esse Deos, quos ipse colit. Sed tempore festo  
 Alterius populi rapienda occasio cunctis

Vifa

Vifa inimicorum primoribus ac ducibus; ne  
 Lætum hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ  
 Sentirent positis ad templa et compita mensis,  
 Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem  
 Septimus interea Sol invenit. Horrida sane  
 Aegyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,  
 Barbara famoso non cedit turba Canopo.  
 Adde quod et facilis victoria de madidis et  
 Blæsis, atque mero titubantibus. Inde virorum  
 Saltatus nigro tibicine, qualiacunque  
 Unguenta, et flores, multæque in fronte coronæ:  
 Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima sonare  
 Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.  
 Dein clamore pari concurritur, et vice teli  
 Sævitur nuda manus: paucae sine vulnere malæ:  
 Vix cuiquam aut nulli toto certamine nafus  
 Integer. Aspiceres jam cuncta per agmina vultus  
 Dimidios, alias facies, et hiantia ruptis  
 Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.  
 Ludere se credunt ipsi tamen, et pueriles  
 Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.  
 Et sane quo tot rixantis millia turbæ,

Si



Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus, et jam  
 Saxa inclinatis per humum quæfita lacertis  
 Incipiunt torquere, domestica feditione  
 Tela; nec hunc lapidem, quali se Turnus, et Ajax;  
 Vel quo Tydides percussit pondere coxam  
 Aenææ; sed quem valeant emittere dextræ  
 Illis diffimiles, et nostro tempore natæ.  
 Nam genus hoc vivo jam decrefcebat Homero.  
 Terra malos homines nunc educat, atque pufillos.  
 Ergo Deus quicumque aspexit, ridet, et odit.  
 A diverticulo repetatur fabula. Postquam  
 Subfidiis aucti, pars altera promere ferrum  
 Audet, et infestis pugnam instaurare sagittis:  
 Terga fugæ celeri præstantibus omnibus instant,  
 Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.  
 Labitur hic quidam nimia formidine cursum  
 Præcipitans, capiturque; ast illum in plurima sectum  
 Frustra ac particulas, ut multis mortuus unus  
 Sufficeret, totum corrosis ossibus edit  
 Victrix turba; nec ardenti decoxit ahenò,  
 Aut verubus: longum usque adeo, tardumque putavit  
 Expectare focos, contenta cadavere crudo.

Hinc

Hinc gaudere libet, quod non violaverit ignem,  
 Quem summa coeli raptum de parte Prometheus  
 Donavit terris. Elemento gratulor, et te  
 Exultare reor. Sed qui mordere cadaver  
 Sustinuit, nihil unquam hac carne libentius edit.  
 Nam scelere in tanto ne quæras, et dubites, an  
 Prima voluptatem gula senserit: ultimus autem  
 Qui stetit absumpto jam toto corpore, ductis  
 Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.  
 Vascones, ut fama est, alimentis talibus usi  
 Produxere animas: sed res diversa; sed illic  
 Fortunæ invidia est, bellorumque ultima, casus  
 Extremi, longæ dira obsidionis egestas.  
 Hujus enim, quod nunc agitur, miserabile debet  
 Exemplum esse cibi: sicut modo dicta mihi gens  
 Post omnes herbas, post cuncta animalia, quicquid  
 Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis  
 Pallorem, ac maciem, et tenues miserantibus artus,  
 Membra aliena fame lacerabant, esse parati  
 Et sua. Quisnam hominum veniam dare, quisve Deorum,  
 Urbibus abnuerit dira atque immania passis;  
 Et quibus ipsorum poterant ignoscere manes,

Quorum

Quorum corporibus vescebantur? Melius nos  
 Zenonis præcepta monent. Nec enim omnia, quædam  
 Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde  
 Stoicus, antiqui præfertim ætate Metelli?  
 Nunc totus Graias, nostrasque habet orbis Athenas.  
 Gallia caufidicos docuit facunda Britannos:  
 De conducendo loquitur jam Rhetore Thule.  
 Nobilis ille tamen populus, quem diximus, et par  
 Virtute atque fide, sed major clade Saguntus,  
 Tale quid excusat. Mæotide sævior ara  
 Aegyptus. Quippe illa nefandi Taurica sacri  
 Inventrix homines (ut jam quæ carmina tradunt  
 Digna fide credas) tantum immolat; ulterius nil,  
 Aut gravius cultro timet hostia. Quis modo casus  
 Impulit hos? Quæ tanta fames, infestaque vallo  
 Arma coegerunt, tam detestabile monstrum  
 Audere? Anne aliam terra Memphitide ficca  
 Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?  
 Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam,  
 Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrsi,  
 Hac sævit rabie imbelle et inutile vulgus,  
 Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,

Et

Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.  
 Nec pœnam sceleri invenies, nec digna parabis  
 Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt  
 Et fimiles ira atque fames. Mollissima corda  
 Humano generi dare se natura fatetur,  
 Quæ lacrymas dedit. Hæc nostri pars optima sensus.  
 Plorare ergo jubet causam lugentis amici,  
 Squalloremque rei, pupillum ad jura vocantem  
 Circumscriptorem, cujus manantia fletu  
 Ora puellares faciunt incerta capilli.  
 Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ  
 Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,  
 Et minor igne rogi. Quis enim bonus, aut face dignus  
 Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,  
 Ulla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos  
 A grege mutorum, atque ideo venerabile foli  
 Sortiti ingenium, divinorumque capaces,  
 Atque exercendis capiendisque artibus apti  
 Sensum a cœlesti demissum traximus arce,  
 Cujus egent prona, et terram spectantia. Mundi  
 Principio indulfit communis conditor illis  
 Tantum animas, nobis animum quoque; mutuus ut nos

B b

Affectus

Affectus petere auxilium, et præstare juberet,  
 Dispersos trahere in populum, migrare vetusto  
 De nemore, et proavis habitatas linquere fylvas;  
 Aedificare domos, laribus conjungere nostris  
 Tectum aliud, tutos vicino limine fomnos  
 Ut collata daret fiducia; protegere armis  
 Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem;  
 Communi dare signa tuba, defendier iisdem  
 Turribus, atque una portarum clave teneri.  
 Sed jam serpentum major concordia: parcit  
 Cognatis maculis similis fera. Quando leoni  
 Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam  
 Expiravit aper majoris dentibus apri?  
 Indica tigris agit rabida cum tigride pacem  
 Perpetuam: sævis inter se convenit urfis.  
 Ast homini ferrum lethale incude nefanda  
 Produxisse parum est, cum rastra et farcula tantum  
 Affueti coquere, et marris ac vomere lassum  
 Nescierint primi gladios excudere fabri.  
 Aspiciamus populos, quorum non sufficit iræ  
 Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum  
 Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,  
 Vel

Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret  
 Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui  
 Tanquam homine, et ventri indulfit non omne le-  
 gumen?

## SATYRA XVI.

*Vitæ militaris felicitatem εἰς κοινὸν exponit.*

**Q**UIS numerare queat felicitis præmia, Galle,  
Militiæ? Nam si subeantur prospera castra,  
Me pavidum excipiat tyronem porta secundo  
Sidere. Plus etenim fati valet hora benigni,  
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti,  
Et Samia genitrix quæ delectatur arena.  
Commoda tractemus primum communia, quorum  
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus  
Audeat: imo et si pulsetur, dissimulet, nec  
Audeat excussos prætori ostendere dentes,  
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,  
Atque oculos medico nil promittente relictos.  
Bardiacus iudex datur hæc punire volenti  
Calceus, et grandes magna ad subsellia furæ,  
Legibus antiquis castrorum, et more Camilli  
Servato, miles ne vallum litiget extra,  
Et procul a signis. Iustissima centurionum

Cognitio

Cognitio est igitur de milite; nec mihi deerit  
 Ultio, si justæ defertur causa querelæ.  
 Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipuli  
 Consensu magno officiunt. Curabitis, ut sit  
 Vindicta gravior quam injuria: dignum erit ergo  
 Declamatoris Mutinensis corde Vagelli,  
 Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos,  
 Millia clavorum. Quis tam procul absit ab urbe;  
 Præterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra  
 Ut veniat? Lacrymæ ficcentur protinus, et se  
 Excusatos non sollicitemus amicos.  
 Da testem, judex cum dixerit: audeat ille  
 Nescio quis, pugnos vidit qui, dicere, Vidi;  
 Et credam dignum barba, dignumque capillis  
 Majorum. Citius falsum producere testem  
 Contra paganum possis, quam vera loquentem  
 Contra fortunam armati contraque pudorem.  
 Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus  
 Sacramentorum. Convallem ruris aviti  
 Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,  
 Aut sacrum effodit medio de limite saxum,  
 Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo,

Debitor

Debitor aut sumptos pergit non reddere nummos,  
 Vana supervacui dicens chirographa ligni:  
 Expectandus erit, qui lites inchoet, annus  
 Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda  
 Tædia, mille moræ; toties subsellia tantum  
 Sternuntur; jam facundo ponente lacernas  
 Cæditio, et Fusco jam micturne, parati  
 Digredimur, lentaque fori pugnamus arena.  
 Ast illis, quos arma tegunt et balteus ambit,  
 Quod placitum est, illis præstatur tempus agendi,  
 Nec res atteritur longo sufflamine litis.  
 Solis præterea testandi militibus jus  
 Vivo patre datur. Nam quæ sunt parta labore  
 Militiæ, placuit non esse in corpore census,  
 Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranum  
 Signorum comitem, castrorumque æra merentem,  
 Quamvis jam tremulus, captat pater. Hunc labor æquus  
 Provehit, et pulchro reddit sua dona labori.  
 Ipfius certe ducis hoc referre videtur,  
 Ut qui fortis erit, sit felicissimus idem;  
 Ut læti phaleris omnes, et torquibus omnes.